IOANNIS SCHILDI

ADLOCUTIO

Ad

CHRISTIANUM FRIDERICUM

CROCIUM LUD. FIL.

Lugentem unici Fratris


IOANNIS CROCII

EXCESSUM.



LUGDUNI BATAVORUM,
Ex Officina IOANNIS MAIRE.
CIↃ IↃC XLV.

CHRISTIANO FRIDERICO
CROCIO
IOANNES SCHILDIUS
S. D.



MNIUM rerum, præstantiſſime Croci, nullam dubiam magis & ancipitem invenimus, quàm illam, quæ tantopere nobis imponit, temporis ſimul ac vitæ poſſeſſionem. Non breves nobis annos, ſed ſeculum, ſed æternitatem ferè pollicemur: &, cùm ſingulis momentis obnoxii ſimus, votis tamen ac cupiditatibus in immenſum ferimur. Conantes aliquid, & ad magna niti meditantes vel rerum viciſſitudo, vel mortis neceſſitas interpellat: imò, quod veterum aliquis de fortuna pronunciavit, id de tota vita uſurpare lubet, ſervari quandam in ipſa fragilitate noſtra conſtantiam. Scio, tritum pluribus ac faſtidioſum videri, de inconſtantia rerum humanarum chartis aliquid illinere, atque ut ex ipſorum ſententia loquar, de vitæ fugacitate tragicè nimis ampullari. Verumenimvero quò propiùs à Libitina petimur, quò recentior nobis acerborum funerum memoria inhæret, eò rectiùs agnoſcimus & æſtimamus eorum dictorum veritatem, quæ noſtram nobis incertitudinem ob oculos ponunt ac repræſentant. Triſte obtulit exemplum ille februis expiandus Februarius, quo fati vis abſtulit tibi fratrem, amicum mihi, juvenem haud minùs ob excellentes animi dotes utrique deſideratiſſimum, quàm quòd frater, aut amicus fuit. Enim-

vero, quanquam inevitabilis ex chariſſimorum fine triſtitia ſenſim ſubſidat, tamen òpprimimur interdum, ac vix reſiſtimus dolori, ſi vel morte ipſa mortis tempus indignius, vel egregia vivendi pretia, quæ defuncto ſuppetebant, ad animum mentemque revocemus. Tuus ille laudatiſſimus frater, ſi crudum adhuc vulnus pateris tractari, ea ætate, eoque tempore ſupremum diem explevit, quo raro ſeu fato, ſeu naturæ quicquam in nos licere, inconſulti mortales arbitrantur. Iuvenis erat: hanc floridam & robuſtam ævi noſtri partem, quam juventæ nomine inſignimus, valere putant ad averruncandam propinquæ mortis neceſſitatem. Cùm pares nos ad omnia patienda finxerit Deus, cùm nemo ſit altero fragilior, nemo in craſtinum ſui certior, objurgant tamen improvidi mortem, ſi nonnullorum aliquando principia interrumpit, alios in medio flore præcidit. Levari tamen utcunq; triſtitia poſſet, quam præceptæ juventutis miſeratio conciliat: inſanabilis oritur dolor, ubi cum vita chariſſimorum luculenta ſpes, & ampliſſima virtutum ſeges intercipitur. Nempe, cùm irato cœlo ſæviunt tempeſtates, magis hercle fructiferis arboribus aut ſatis, quàm ſterilibus & incultis metuimus vepretis. Tanto major eſt uniuſcujuſq; rei jactura, quanto majus ac præclarius eſt bonum illud, quod propediem ex ea poterat exſpectari. Itaque vehementer ſit inhumanus, qui fratrem tuum requirere vetet, adoleſcentem tot tantarumque virtutum, quibus futura claritudo ejus, & exempli gloriæque majorum adæquatio, ſperari præſumique poſſet. Nihil humile ac vulgare ſpondebat, qui, quamprimum per ætatem ſapere potuit, admirabiles curſus ad omnem virtutis & eruditionis excellentiam fecit. Videre mihi videor ipſo vultu prodentem ſeſe modeſtiam: recordor illud candidum & in amicitia ſinceriſſimum pectus: intueor

tueor erectam animi alacritatem, ac veluti spirantem in filio parentem. Imò, quantò teneriùs & ardentiùs invicem dileximus, tantò nunc frequentiùs vanis quidem imaginibus, sed tamen recentibus ac funestis, illum defixum in animo meo Grocium alloquor & complector. Elegans liberalium studiorum, omnisque doctrinæ, & cultor & admirator erat. Ac, quanquam altiori disciplinæ animum adjecisset, tamen neutiquam, qui pridem seculi morbus esse cœpit, ab amœnitate & elegantia litterarum abhorrebat. Ipse carmen non unum, quod amori & amicitiæ nostræ consecrârat, ad instar insignis depositi servo, servaboque dum vivam. Non ego nunc ambitiosè laudibus ejus immorabor: quippe, licèt superstitum comes sit invidia, nec defunctorum laudibus intercedat livor, fraternis tamen auribus parco, & æstimium ejus unicuique meditandum relinquo. Enimvero, ut multa sibi fingunt dolentes, hoc tibi pariter ac parenti tuo, summo viro, levamento fore crediderim, quòd non in oculis utriusque, sed aliqua locorum intercapedine divisus, exspiravit. Vix unquam larvam & apparatum calamitatis ab ipsa calamitate segregamus: hinc fit, ut atrociùs ferire videantur, quæ non animis modò nostris, sed ipsis sensibus accipiuntur. Sæpius id à magnis viris usurpatum constat, ut subtraherent oculis acerba funera, ac ne laudationibus quidem aut pompâ detinerent. Itaque hoc in malis quoque vobis indulsit Deus, quòd, quatenus virtutibus ejus maturescere negatum fuit, apud Cattos potiùs, quàm in patria, avulsæ sunt & interceptæ. Quanquam quis avulsas dixerit & interceptas, quæ, posteaquam corporeis vinculis sunt exsolutæ, speratam demum sui perfectionem indipiscuntur? Nempe, si verum amamus, invidentiæ, non misericordiæ locum fecit, qui, cùm corporis de-

ſtitueretur viribus, animi ſe vigore ſuſtentavit, & in ardentiſſimis ad Deum precibus perſtitit : tandemque, cùm omnem curam fata vincerent, in ſua reſolutus initia, animam cœleſtem cœlo reddidit. Ingens hoc beneficium divinæ indulgentiæ debemus, quòd, ubi ad finem mortalitatis acceſſimus, haud inſtar Pæti alicujus aut Senecæ, Iovi libandum credimus liberatori, ſed animas noſtras Chriſto ſervatori beatorum ſedibus adſcribendas commendamus. Mors, quam pertimeſcimus ac recuſamus, ne intermittit quidem vitam, tantum abeſt ut eripiat: tranſitum nobis ad vitam meliorem ac verè vitalem pollicetur. Inter miracula, & meritò quidem, gentiles illos numeramus, qui, cùm nihil admodum ſpei ſecum ferrent, ea tamen animi magnitudine fatum exceperunt, ut non emiſiſſe animam, ſed expuliſſe viderentur. Et quodnam timori noſtro velamentum prætexemus, qui non mori nos, ſed à caducis ad æterna, à mortalibus ad immortalia transferri, cognitiſſimum habemus? Eſto: ſui pertinax amor, & permanendi conſervandique ſemet inſita voluntas formidabilem nobis reddat diſſolutionem : at, quid præcipuum & inſigne patimur, ſi comitatum illum generis humani, eodem tendentis, eodem cogendi, contemplemur? Omnes eadem conditio devinxit: & eo ipſo, quòd naſci nobis contigit, autoramentum quaſi mortis accepimus. Intervallis diſtinguimur, inquit Sapiens ille Romanus, exitu æquamur. Imò, ſi brevitatem ævi cum univerſo comparemus, & juvenes & ſenes in æquilibrio ſumus: hoc quod vivitur, proximum nihilo eſt, ut ut dementiâ noſtrâ latiſſimè diſponatur. Itaque, ſi nihil affectibus deberemus, non tam illacrymandum fratris tui diſcidio foret, quàm gratulandum felicitati: quippe, qui ex hoc turbine & inconſtantia rerum, prior aliis ad

tutum

tutum ſtabilemque portum enavigavit. Quod ut altiùs infigeremus animis, atque ut ſupremi erga defunctum officii mei monumentum aliquod exſtaret, paucos in Memoriæ templo verſiculos ſuſpendi. Vale. Lugd. Batav. ad d. xxv. Martii.

CVm celeres obitus & rapti funera CROCI
Vulgaret atrox cæde Parcarum cohors,
Obſtupuére deæ, quæ quondam Aganippidos undas
Mutâſſe pulchrâ prædicantur Caſſulâ.
Abdidit inſignem velata Modeſtia vultum,
Decenſque morum flevit ereptum Venus.
Mirandumque fuit ſuperis, cur tanta procumbant
Ingenia diris victimæ ſororibus.
Audiit & Pietas, ſed planctu immota dolentum,
Solata mæſtas ore dicitur gravi:
Deſinite, ô Divæ, rigidis convicia Parcis
Ingerere; functum quid cietis planctibus?
Quiſquis humi ſupereſt, alit intra viſcera mortem:
Vivit ſepultus ille noſter Crocius.

MANI-

MANIBUS MERITISQUE
IOANNIS CROCII BREMENSIS
LUDOV. FIL. PAULI NEPOT.

CASSELLIS CATTORVM ANNO M D CXLV.
D. FEBR. PIA BEATA'QVE
SIBI, SED PRÆPOPERA AC
LVCTVOSA SVIS MORTE
DEFVNCTI,

QVIA OB LOCI DISTANTIAM
ALITER AMICITIAM AC
DESIDERIVM TESTARI
NON POTERAT,

CHARTACEVM HOC CENOTAPHIVM
LVGDVNI BATAVORVM
L. M. Q. P.

IOANNES SCHILDIUS.

FINIS.

